



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

40 Bigamus quare ab ordinibus arceatur, quatuor rationibus probatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- d: c: 27, n: 195. Graff d: c: 27, n: 38. & Rot. d: decis: 1, n: 9.* licet enim bigamus ad ordines promoveri non debeat, tamen promotus recipit characterem, *cap. quicumque, 50, dist: gloss: in d: cap: 2, in ver: dispensare, in fine, de bigam. & Graff. decis. sur. cap. 1, num. 24, par. 2, lib. 1.* sed non habet ordinis executionem, ut ibi.
- 40 Quatuor assignantur rationes, † quare bigamus ab ordinibus arceatur, prima propter defectum sacramenti unitatis, cum carnem suam in plures divideret; secunda propter prerogativam ordinum; tertia propter signum incontinentiae cum uxore mortua, si aliam duxerit; & quarta, quia frequentator conjugiorum non habet frontem alios hortandi ad viduitatem, *in capit. una, dist. 26: & Graff. d: cap: 11, nu. 23.* Neque promoveri potest, si quis servilis est conditionis, *cap: nullus, cap. nulli, cap: quinnque, cap: servorum, cap. si quis, & cap. ultim: 54, dist.* nec Monachus sine consensu Abbatis, *cap. nullus, & cap. si quis, 58,*
- 41 *dist: †* Minores si ordinantur, ordines sacros recipiunt, sed executio usque ad le- 44 gitimam aetatem est suspensa, *cap. pueri, cum gloss. 2, q: 1, cap: vel non, cum gloss. de temp: ord: cap: 2, de et: & qual: & gloss. 2.*
- 42 *in fine, in clem: fin: eod: tit †* Ordinatus extra tempora est suspensus, donec a Sede Apostolica fuerit dispensatus, *cap: cum quidam, & cap. literas, de temp. ord.* quae 45 suspensio est inducta ipso jure, & qui suspensione hujusmodi durante, in eisdem ordinibus ministrare praesumpserint, irregularitatem incurrunt, & beneficiis ecclesiasticis possunt jure privari, Pius II. *Constit. 6. Cum ex sacrorum, in Bull. Rom.*
- 43 Ordinis Episcopalis † potestate etiam 46 Reges, & Reginae oleo cathecumenorum inunguntur, & coronantur die Dominico, triduo jejunio devote peracto per hebdomadam praecedentem, videlicet quarta, & sexta feria, & sabbato praecedente, ipsis praeparatis pro sanctissimo Eucharistiae Sacramento fumendo in metropolitana, sive alia cathedrali ecclesia, ubi solemnitas celebratur, astantibus pluribus Episcopis Regni, emissis prius a Rege flexis genibus coram eodem Metropolitano professione juxta formam, de qua in Pont. Rom. Clement. VIII. jussu edito, *fol. 228.* & pro consecratione Metropolitanus intingit pollicem dexterae manus in oleo cathecumenorum, & jungit in modum crucis Regis brachium dexterum, inter juncturam manus, & juncturam cubiti, atque inter scapulas, in eodem Pont. *fol. 231.* & deinde eidem ensem praebet, coronam capiti illius imponit, & sceptrum regale dat, ut ibidem *fol. 234, & 236.* eodemque modo cum injunctioe brachii dexteri benedicatur Regina, cui etiam corona capiti imponitur, ut in eod. Pont. *fol. 250, & 251.*
- 44 Eadem ordinis potestate † a Metropolitano, astantibus saltem duobus Episcopis, consecrantur Episcopi, praestito prius per eos juramento in manibus ejusdem Metropolitanus ad praescriptam in eodem Pont. formam, *fol. 79.* & adhibitis solemnitatibus, & ceremoniis, quae ibi sequuntur.
- 45 Abbates vero † eadem forma benedicuntur, & consecrantur, de qua in eodem Pont. *fol. 122, & seqq.* Et quia de benedictione, & consecratione Abbatissae, & virginum dantur formae, in eodem Pont. *fol. 170, usque ad fol. 223.* de his haec obitet mihi dixisse sufficiat.
- 46 Campanae etiam † ordinis Episcopalis potestate benedicuntur, in qua requiritur oleum